

DE NARCOTICIS  
OBSERVATIONES

QUAS  
VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

CAROL. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA.

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.  
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CÆSAR. REG. SCIENT. LOND. HOLM.  
AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. SCIENT. UPS. ET OECON. PHILAD. PATR.  
HOIM. ET CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. BEROL. NAT. SCRUT. PARIS.  
HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENKENS. LUND. HARLEM. AM-  
STELD. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS. TURICENS IENENS.  
LINN. LONDIN. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. MÜNCHEN.  
ERLANG. WETTER. NANCIENS. MED. PARIS. EMUL. MONSPEL. MED.  
MATRITENS. MEDIC. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO-  
CHIR. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION. MONS-  
RELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN SCANDINAV. FLORENTIN. ET  
BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PRO GRADU MEDICO

P. P.

AUCTOR

JOH. WILH. DALMAN.

NOBILIS.

IN AUDIT. BOTANICO D. V. JUNII MDCCCXVI.

H. S.

UPSALIÆ

Excudebant ZEIPEL ET PALMBLAD.

172

VIRO ILLUSTR

PETRO VON AFZELIUS

SACR. REG. MAJEST. ARCHIATRO

PRINCIPIS SUCCESSORIS MEDICO PRIMARIO

REG. ORD. DE STELLA POLARI EQUITI AURATO

MED. THEOR. ET PRACT. PROF. REG. ET ORD.

REG. ACADD. SCIENT. HOLM. PLURIMQUE

SOCIETT. MEMBRO

SACRUM.

voluit debuit

AUCTOR.

# DE NARCOTICIS.

LIBRARY  
NEW YORK  
BOTANICAL  
GARDEN

## §. I.

Quam vaga sit et parum determinata narcoticorum notio, unicuique vel minimum in medicorum scriptis versato facile constat. Diversis enim diversi auctores narcoticam substantiam, seu mavis facultatem, limitibus circumscribunt. Patendum quoque est, certam et constantem narcotici definitionem, qua rite tum qualitas tum vires designentur, inventu eo esse difficiliorem, quo diversiori magisque inter se contraria polleat efficacitate, summamque efficiat sensibilitatis jam excitationem jam oppressionem.

Quantum vero nos quidem reperire potuerimus, ea omnia vulgo habentur narcotica, quæ sensiferæ vitæ statum normalem deprimendo afficere valent. Neque tamen plura proprio suo jure sub hoc nomine militare videntur, quam quæ vitam sensiferam directius obtundant, efficiantque tum sensuum torporem, tum mentis perturbationes. Quæ quidem symptomata quum, pro diversis, quæ invaluerunt, systematibus, alius alio explicaverit modo, mirandum non est, tantam inde in narcoticorum definitionem redundasse fluctuationem. Nec diffitendum est, narcoticorum et spirituosorum differentiam characteribus satis vagis atque incertis esse definitam, quamquam spirituosorum

forum torporem inducendi vis non nisi adventitia esse perhibeatur. Nec affirmare ausim, fatiſne bene diſtinguantur ſic deſiniendo: ſpirituofis inefſe excitandi facultatem vehementiorem & conſtantiorem, narcotica contra diuturniorem torporem inducendi præpollere vi atque facultate.

Est quidem pupillæ dilatatio abnormis ſingulare quoddam ſymptoma, quod narcoticorum plerorumque uſum inſequi ſolet, quod vero, cum tamen non ſemper adefſt, characterem eſſentialem conſtituere haud valet.

### §. 2.

Quænam et qualis ſit illa ſubſtantia, quæ in nervos ſedandi et ſopiendi exercet vim, non eſt facile vel dictu vel exploratu; odore ingrato et ſapore nauſeoſo ſe prodit quidem manifeſte, ſed ab aliis, quibus ſæpiſſime invenitur juncta, materiis puram chemica huc uſque ars ſiſtere non valet. Neque nobis ſatis liquet, utrum ſpecifica detur ſubſtantia narcotica, an potius vis ejus a corporis animalis reactione pendeat. Quam multæ res inter ſe diſſimillimæ pares oſtendunt effectus, e. g. remedia medicorum emetica, vel diaphoretica; quibus tamen commune principium emeticum vel diaphoreticum quærere nemini venit in animum. — Sed ex Opio et e Meniſpermo Cocco extracta perhibetur ſubſtantia proprie narcotica in cryſtallos efflorefcens, quinetiam e Croco pigmento juncta. Pruni vero Lauro-Ceraſi vis narcotica adſcribitur acido Boruſſico, et ſic porro. Si vero in Curtii Sprengel ſententiam abire libuerit, hydrogenium carbonicum prævalere in omnibus vegetabilibus narcoticis conſtaret, viroſumque illud elementum, quod ob affinitatem cum nervorum elemento, in  
hos

hos protinus ac præcipue agit, in hydrogenio carbonico esfet quærendum. a)

§. 3.

Maxime licet subtilissimorum auctorum sententiæ; in explicandis symptomatum causis, inter se discrepent, omnes tamen in eo congruunt, quod narcotica omnia in systema nervosum vim specificam exferant, et quidem duo per stadia, in quorum primo agunt systema nervosum excitando, licet nonnunquam adeo raptim, ut vix observari possit, in secundo vero deprimendo sensuum facultates, qui status plerumque diutius perdurat.

Ceterum narcoticorum efficacia maxime pendet:

— 1) a *dosi*, quæ si exigua fuerit, animum erigere, spasmos sedare, dolores tollere, exhilarare et inebriare solet; si major, pro ratione copię, somnum inducere, soporem profundum, quin et lethargum, apoplexiam, et mortem habere comites.

— 2) a temperamentis et idiosyncrasia, ab ætate, a corporis valetudine, a consuetudine, ceteris.

— 3) a diversis corporis partibus, quibus immediate applicantur; Sic e. g. cuti externæ imposita non inebriant, nec omnino nisi irritando, vel etiam dolores sedando, agunt. Ab organis respirationis excepta, citius et solito fortius omnia ebrietatis symptomata excitant. Tubo vero intestinali ingesta primo exhilarant, tum vero stupefaciunt, et sensiferæ vitæ torporem variæ intensiõnis, ad apoplexiam usque, inducere valent.

§. 4.

---

a) Sprengel Institutiones Medicæ T. III. p. 272-274.

## §. 4.

Omissis sæpe letiferis effectibus, quos in bruta animalia exserunt nonnulla narcotica, sufficiat heic symptomatum meminisse gravissimorum, quæ in organismo humano excitare solent, ubi fortuito vel dolo fuerint majori dosi sumpta. Tristissima inde exstiterunt exempla, mentalis perturbationis, deletæ memoriæ, extinctæ conscientiæ, variæ, etiam permanentis, insanix; atque sunt narcotica venena ceteris hoc atrociora et periculosiora, quo insidiosius valetudinem aggrediuntur, et sui quisque periculi ignarus auxilium quærere nescit.

Etsi vero narcotica imperitia iis abusos maximis sæpe affecerunt damnis, solerti tamen et perito medico præscribente, efficacissima et maxime salutaria facta sunt remedia. Est enim vero ingenii mortalium scientiæque insignis iste habendus triumphus, medicos hæc per se letifera tela ad salutem vitamque tuendam potuisse convertere. Nec dubitamus, quin ex his ipsis narcoticis plantis futura dies plura maxime efficacia et salutaria morborum remedia elicere possit, præsertim cum e numero paucissimorum istorum hæc esse videantur, quæ in morbos mentales efficacitatem quandam ostenderint, quod morborum genus ad medicinæ partes quam minime excultas pertinere videtur; quare idonea experimenta, eum in finem instituta, numeranda essent inter medicorum studia, humano generi quam maxime fructuosa. Verum heic, si usquam, luculenter apparet, quam necessaria sit in medico ingenium sollers et circumspectum, quamque religiose observanda medicorum aurea illa regula, quæ prudenti audacia uti jubet.

## §. 5.

Nec vero brevem omnino omittendam censemur mentionem remediorum, quæ contra venena narcotica in subsidium adhiberi possunt.

— 1) Evacuatio noxiorum, per emetica tempestive administrata, quorum tamen, pro diminuta ventriculi irritabilitate, dosis erit adaugenda.

— 2) Antidota specifica, qualia sunt, quantum experientia nos docuit, imprimis acida vegetabilia; tum Camphora et alia diaphoretica, quibus soporiferam vim inminui probatum est, deinde aromata et stimulantia alia, volatilia præsertim, quæ sensibilitatem fuscitare valeant, præ ceteris vero Cossæ potus saturatio, contra soporem et somnolentiam jam vulgo laudatus.

— 3) Irritantia externa, videlicet frictions, sinapismi, vesicatoria, urticatio, et alia, quæ somnum arcere valeant.

-- 4) Venæ sectiones, vel hirudines collo applicatæ, si plethora et sanguinis ad caput congestio id indicare videntur.

Quod si vero, ut sæpius fit, acria narcoticis venenis sunt juncta, jam ab initio potus mucilaginosi, oleosi &c. sunt præscribendi. Contra vaporum narcoticorum affectus, stimulantia, volatilia præcipue, valent. Contra affectiones chronicas vero, quæ ex venenis narcoticis originem trahunt, stimulantia et corroborantia sunt adhibenda pro morbi indole.

## §. 6.

In regni vegetabilis productis vis narcotica potissimum inesse videtur. Nonnulli quidem Auctores *Mofchum* inter narcotica retulerunt *c)*, sed suo vix jure, quod etiam de piscibus quibusdam venenatis valet.

In Vegetabilium vero ordinibus compluribus narcotica occurrunt, etsi plantæ luridæ & papaveracæ imprimis tali principio abundant. Narcotica vero vis aut toti plan-

---

*c)* E. gr. *Kretschmar* Darstellung der Wirkungen der Arzneien. T. 2.

plantæ est communis, (e. gr. Hyoscyamo, Atropæ &c.) aut, quod sæpius fit, in certis inhabitat partibus, ut in Papavere, Umbellatis, Drupaceis &c d).

Principium illud narcoticum vix unquam in plantis invenitur adeo purum, vel materiis omnino inefficacibus mixtum, ut non nisi symptomata vere narcotica excitet. Semper fere conjunctum est cum variis aliis substantiis, quibus vario modo peculiaris ejus vis restringitur. Sic Narcoticum invenimus conjunctum cum acri in *Aconito*, *Conio*, et in reliquis plantis multifiliquosis, Umbellatis, plantisque ceterorum ordinum pluribus; cum aromate in *Myrsilica*; cum amaro in *Strychno*, *Ignatia* &c.; cum æthereo quodam volatili in *Croco*; cum acido *Borussico* in *Pruno Lauro-Ceraso*, *Amygdalis amaris*, & in cuticula nuclei *Drupacearum*; nisi harum vim narcoticam ipsi acido *Borussico* attribuere mavis; et uti perhibetur, cum acido quodam peculiari in *Opio* e), et sic in ceteris, ut taceamus materias mitiores, quæ in plantis adsunt, quarum tamen nonnullæ narcotici effectum modificari possint f).

Quibus

d) Conf. Wahlenberg Disfert. de Sedib. Mat. Immed. p. 74-

e) Acidum Opii, (Mohnsäure,) Hecker Arzneimittellehre p. 393. quod in opio principii narcotici vim mitigare putat ejus inventor Ser-tüner.

f) Conf. Heckers Arzneimittellehre. (Ed. anni 1814.) pag. 385. et sequ. ubi, pro dominante in illis elemento. narcotica medicamenta in septem Classes sunt distributa. 1.) In quibus prævalet extractivum amarum, (Bitterer Extractivstoff v. g. Strychnos, Lactuca, Rhododendron, Ledum, folia Taxi. 2) Quæ continent Picrotoxin. v. g. Baccæ Menispermii Cocculi. — 3. Quæ continent Opii elementum: Papaveres. — 4 Quæ continent Polychroitum, scil. Crocus. 5. Quæ continent ceram resinofam viridem, aliaque acria narcoticis mixta; scil. Belladonna, Hyoscyamus, Datura, Nicotiana, Digitalis, Aconitum, Conium, Veratrum album, Sabadilla, Cicuta

Quibus ex rebus facile intelligitur, quodcumque fere narcoticum diversa symptomata producere posse, et quam bene medicorum arti consultum esset, si quando pura et simplicia extrahi narcotica possent.

## §. 8.

Tandem nobis enumerandæ sunt plantæ, quæ ob narcoticas qualitates innotuerunt, præsertim vero quæ officinalem in usum adhiberi solent. Ut affinitates eo luculentius appareant, secundum ordines naturales eas describere libet.

MONOCOTYLEDONUM perpaucae narcoticæ dicuntur: *Lolium temulentum*. Noxium certe, sed an vere narcoticum sit, non patet.

*Crocus sativus*. Vires quam maxime excitantes, deinde et somniferas habere, experientia constat. Officinalis ad permulta præparata adhibitus.

## DICOTYLEDONES.

*Rhoeades* Linn. *Papaver somniferum*. Opium narcoticorum omnium notissimum, et usitatissimum. Pluribus *Papaveris* speciebus vis analogâ inesse putatur.

*Luridæ* Linn. (*Solanaceæ* Jusf.) Ordo plantas quam maxime narcoticas et venenatas continet. Notissimæ sunt:

*Atropa Belladonna* & *Mandragora*; *Datura Stramonium*;

*Hyoscyamus niger*, qui nonnunquam *Opio* præstantior.

— *Nicotianæ* species plures ejusdem naturæ: adfuetis innocuæ, insuetis narcoticæ; in praxi medica quoque usitatæ. *Digitalis*; — *Solana* nonnulla, aliaque genera

hujus

---

ta, *Chaerophyll. sylvestre*, *Pæonia*, *Delphin. Staphisagrizæ semina*, — *Atropa Mandragora*, *Solanum nigrum*. — 6. *Quæ continent Acidum Borussicum*; e. gr. *Aqua Lauro-Cerasi*; *Amygd. amaræ*, *aqua Ceraforum* et *florum Acaciæ*, *cortex pruni padi*. — 7. *Cetera, quorum elementa narcotica sunt minus nota*; ex. gr. *Viscum*, *Cannabis*, *Agaricus muscarius*, *Spigelia anthelmia* & *marilandica*.

hujus ordinis, narcotici non omnino expertia esse videntur.

*Umbellatæ*. Narcoticæ quidem nonnullæ sunt, magis tamen simul acres. Conium maculatum officinale.

*Cicuta virosa* & *Chærophylli* species virium venenatarum et quidem narcoticarum nomine accusatæ sunt.

*Phellandrium*, *Oenanthe*, *Aethusa Cynapium*, *Sium latifolium*, & plures, vix nisi tanquam acria agunt.

*Multifiliquæ*. Omnes acres sunt, *Aconitis* tamen vires narcoticæ simul insunt; nec *Pæotia* omnino narcotici experta videtur.

*Bicornes* Linn. *Rhododendra*: *dauricum*, *ferrugineum*, *chrysanthemum*, *ponticum* & *Azalea pontica* — narcoticæ feruntur, vel ipsa planta, vel tantum mel ab apibus in earum floribus lectum g).

*Malvaceæ*. *Sida asiatica*. Turcis inebriantium loco semina habentur.

*Drupaceæ*, Linn. *Prunus Lauro-Cerasus*.

*Scabridæ*. *Cannabis sativa*. — *Piper latifolium*. ?

*Compositæ* Linn. *Lactuca virosa* et *scariola*; vix nisi anodynæ.

*Apocineæ*. Jusf. *Tabernæmontana citrifolia*. *Stychnos nux vomica*. *Ignatia amara*.

*Myristiaceæ* Brown. *Myristica*. Vix nisi aromate eximio agens.

*E sequentibus plurimæ saltem vix legitimæ inter narcoticas locum obtinent:*

*Hura*, *Mercurialis*, *Helleborus* et affines, *Veratrum*, *Phytolacca*, *Capficum*, *Actæa*, *Euphorbia* &c. potius acris vel corrodentibus adnumerandæ. *Peganum Harmala* a Linnæo inter inebriantia enumeratur h), sed testimonia allata non indubitata videntur. *Bryoniæ albæ* radix acris, simul subnarcotica fertur.

Nec hoc loco enumerandæ sunt quæ odore graveolenti tantummodo molestias narcoticis similes afferunt; nec magna plantarum copia, ex quibus potus inebriantes vel somniferi arte præparantur, cum horum vires æque, et magis quidem, ab arte quam a plantis ipsis utilis pendeant.

g) De his aliisque conf. *Gmelin Allgemeine Geschichte der Pflanzengifte*. Nürnberg 1803.

h) Linn. *Disfert. Inebriantia* p. 10.